

AD LECTOREM.

Sue prosperitas impiorum offensaculum obijciat, vel lingua virulenta calumniam inferat: aut ultra haec omnia, ipsa diuinae prouidentiae fides desperationis tentatione labore, aut quodcumque aliud temptationis genus irruat: unde quae so presentius & expeditius solatum animus afflictus petet, quam ex hoc Psalmorum veluti ditissimo quodam promptuario, innumeris recreationibus referto? Rursus si exercenda sit beneficiorum Dei meditatione, diuinæ prouidentiae fides omnis generis exemplis & argumentis confirmanda, si usurpanda sint ad pietatem necessariae & urgente pareneses, si cor & lingua ad laudis sacrificium exercenda: quis dabitur alius siue veteris, siue noui Instrumenti liber, qui coniunctius ista, viuaciusq; & alacriore spiritu piorum animis inferat? Ad haec si inuit mysterium illud regni Christi, quod à seculo absconditum, nouissimis temporibus per Euangeliū prædicationem Orbi innotuit, in ipsis propheticis oraculis expendere: eaq; consideratione non solum ad fidem in Christum robur exurgere, sed & cælestis patris nostri sapientiam, prouidentiam, & stupendam Φιλανθρωπian erga genus humanum declaratam suspicere: annō ista quoq; in hoc diuinissimo Psalmorum codice copiosissimè ac passim occurruunt: ut non preter rationem Dominus discipulis suis, Psalmorum explicatione, mortis ac resurrectionis suæ mysteria, cum resurrexisset, aperuerit? Quid, quod nonnulla ad Dominicæ passionis historiam pertinentia, adeo sunt in quibusdam Psalmis perspicue prædicta, ut non prophetiam, sed historiam complecti videantur? Igitur si observanda sit in tribulationibus patientia, consolatio animo quantumvis tristi & abiecto pertinenda, ad Deum pro auxilio suspirandum ac clamandum, spes rerum meliorum fulcienda, pietas vita prouehenda, mysteria regni Christi Propheticis oraculis eruenda, oblatione Deo offerenda, in quibus certè rebus potissimum Christiani hominis studium versari debet: ad hunc sancti Spiritus thesaurum peculiari consilio Dei piorum usibus destinatum, & in ecclesia fidelium familiariter cognitum, pī omnes consugiant, ut inde quisq; vel maiorum quibus premitur solatum, vel de beneficiis Dei quibus afficitur, competenter gratias agendi paratas formulas usurpet.

Horum consideratione facile intelligimus, quis sit Psalmorum usus, & quam non praeter rationem homines pī singulariter fuerint erga illos affecti. Athanasius in librum Psalmorum ad Marcellinum scribens, palam fateatur, vix se in uniuersam reliquam Scripturam sic fuisse ex animo affectum, atque in volumen Psalmorum. Et Augustinus libro Confess. 9. cap. 4. satis prædicare non potest, quam ardentes animi motus ex Psalmorum lectione conceperit. Et libro decimo, capite 33. scribit, se admodum illachrymatum, cum Ecclesiæ cantus in primordiis reparate suæ fidei audiret. Loquitur autem de psalmodia populi fidelium, quam Ambrosius in ecclesia Mediolanensi instituerat. Verum nullus horum sensus carnalium hominum pectora tangit. Neque illi sic Psalmis afficiuntur, quibus in hoc Mundo datum est, tranquillo vite cursu potiri, sic ut ex voto cadant omnia, nec quicquam illis accidat, unde ad querendum afflicti animi solatum adiganturn. Est enim peculiare quoddam Psalmorum condimentum, tribulatio, pectus hominis pī subinde percellens. E pectore multis tribulationibus macerato prodiere Psalmi: nec afficiunt, nisi consimiliter affecta corda. Quare pectus Athanasi, viri frequenter ac graueriter afflictati, suauiter affecerunt: & Augustinū, cum relicitis Manicheis, ad Ecclesiam Christi pedem referret, & grauibus temptationibus, acriq; dolore premeretur, ad lachrymas compulerunt. Et ut de meipso fatear, cum esse adhuc Augustinæ Vindelicorum, anno millesimo quingentesimo quadragesimo octavo, in comitijs Imperatoris, quem tum illic agebatur, versarerq; in medio alienæ & aduersariæ nationis, nulla re sic suauiter afficiebar, fortiter erigebar, & subinde ad lachrymas mouebar, atq; Ecclesiastico psalmodia concentu, quo populuseius ecclesiæ (quem Dominus in veritate sua sanctificet & custodiat) consona & mente & voce Deo ac Seruatori suo quotidie cantabat, & vitulos labiorum suorum laudis & gratiarum actionis loco sacrificabat. Eodem adhuc, quo tunc, affectu Dominum suppliciter & humiliter oro, ac dico: Domine, ne claudas ora canentium te, immo aperias potius cunctorum fidelium tuorum labia, vt te Dominum ac Seruatorem suum concordibus votis quotidie glorifiscant, te noui cantici laudibus extollant, tibi veram eucharistiam ex intimis cordium penetralibus, labijs in te exultantibus ac modulantibus offerant. Interim clade ora omnium eorum, qui non tibi, sed ventri, ocio, luxui ac quaestui suo psallunt. Obmutescant & fileant in Ecclesia tua, labia dolosa: desinat corcitare corui nigri, impuri, ac fædi: incipient tibi canere cygni, alites candidæ, mundæ, ac sonoræ.

Hactenus